

indulta tutoribus excusatio, quando vocatur ad munus tutelæ, post 50. dies continuos perimitur §. qui autem 16. *Inst. de Excusat.*

- 632 Quoad menses perinde frequens habetur actionibus prætoris (si pœnales sint) ex n. 29, nec non actione quanto minoris d. l. sciendum 19. §. ult. II. in petenda bonorum possessione, quæ parentibus aut liberis datur §. sedes 4. *Inst. de Bon. poss.* III. in immisione in possessionem bonorum, in qua reus post annum amittit veram possessionem cap. constitutus 1. de eo qui mittitur in possess. l. pen. §. pen. *Cod. de Præscr. 30. vel. 40. annor.* IV. in petenda investitura feudali, quæ, si ultra annum & diem ommissa fuerit, feudi privationem inducit tit. 24. 40. & 57. *feud. II.* V. in susceptione Sacerdotii, ad quam intra spatium annale, proventus de beneficio curato, sub pena amissionis obligatur cap. licet 14. de *Elect. in 6.*
- 633 Intra 30. dies petendi sunt Apostoli, seu licentia dimissoria in appellatione l. iudicibus 24. *Cod. de Appellat.* Jus vindicandi servum, ad dignitatem aliquam sæcularem promotum, domino competens, ipsò sciente, nec contradicente, post 30. dies extinguitur l. super ser-  
634 vis 6. *Cod. Qui militare possunt &c.* De Jure Canonico spatium unius mensis conceditur iis, qui volunt à postulatione vel electione ad Summam Pontificem appellare cap. statimus 1. in pr. de *Elect. in 6.* Conceditur etiam noviter electo mensis ad acceptandam electionem cap. quam sit 6. d. 1. in 6. Post duos menses ( seu 60. dies, qui duobus mensibus æquivalent per l. ubi lex 101. ff. de R. J. ) emendi prærogativa, quæ domino conceditur in re emphyteutica venali, admittitur l. ult. *Cod. de Jure emphyteut.* Eodem tempore novis conjugibus auferitur licentia, cæteroquin concessa, de Religionis ingressu deliberandi, & interea conjugale debitum recusandi cap. ex publico 7. de *Convers. conjugat.* Post tres menses, à die vacantis Ecclesiæ numerandos, non factâ electione, jus eligendi pro illa vice Capitulo admittitur cap. ne pro defectu 41. de *Elect.* Electus quoque, si confirmationem intra tres menses à die præstiti consensûs non petierit, jus suum amittit cap. quam sit 6. d. 1. in 6. Intra quatuor menses Patronus Laicus Clericum ad beneficium vacans præsentare tenetur, nisi jus præsentandi pro illo casu perdere velit cap. quoniam 3. cap. cum propter 27. de *Jure Patronat.* Similiter intra idem tempus is, qui condemnatus est in actione personali, si velit executionem avertere, tenetur solvere cap. quod ad consultationem 15. de *Sent. & re judic. l. eos qui 2. l. sancimus 3. Cod. de Usur. rei*  
638 *judic.* Ultra quinque menses, si Episcopus, non adeptâ consecratione, Ecclesiam retinuerit, neque ibi neque alibi poterit consecrari, sed Metropolitanam iudicio deponi debet cap. quoniam 1. *Dist. 100.* Sex menses Patrono Ecclesiastico ad præsentandum, & totidem Ordinario ad collationem beneficiorum sunt præscripti cap. quia diversitatem 5. de *Concess. præb. cap. us. de Jure Patron. in 6.* Hoc

ipsum tempus instituende actioni redhibitoria prænitum est in l. sciendum 19. §. ult. ff. de *Adlit. ed. &c.*

Præscriptiones annales occurrunt I. in actionibus prætoris (si pœnales sint) ex n. 29, nec non actione quanto minoris d. l. sciendum 19. §. ult. II. in petenda bonorum possessione, quæ parentibus aut liberis datur §. sedes 4. *Inst. de Bon. poss.* III. in immisione in possessionem bonorum, in qua reus post annum amittit veram possessionem cap. constitutus 1. de eo qui mittitur in possess. l. pen. §. pen. *Cod. de Præscr. 30. vel. 40. annor.* IV. in petenda investitura feudali, quæ, si ultra annum & diem ommissa fuerit, feudi privationem inducit tit. 24. 40. & 57. *feud. II.* V. in susceptione Sacerdotii, ad quam intra spatium annale, proventus de beneficio curato, sub pena amissionis obligatur cap. licet 14. de *Elect. in 6.*

Præscriptio biennis opponitur I. quere. 641 læ non numerata pecuniæ respectu putativi debitoris, quatenus saltem est privilegiata l. in contractibus 14. in pr. *Cod. de N. N. P.* II. Emphyteutæ Ecclesiastico, qui scilicet intra biennium Ecclesiæ canonem annum non solvit cap. ult. de *Loc. cond.* III. conductori, mercedem intra biennium non præstanti per l. quere 54. §. 1. ff. *cod.*

Præscriptio triennis locum habet I. in emphyteuti sæculari, quæ, canone per triennium non soluto, fit caduca l. in emphyteuticariis 2. *Cod. de Jure Emphyteut.* II. in jure repetendi servum aut hominem proprium, quando statum Regularem aut Clericalem assumpsit cap. ult. *XVII. q. 2. Nov. 113. cap. 35.* III. in instantia judiciali, quæ triennio perimitur l. properandum 13. §. 1. *Cod. de Judic.*

Præscriptio quadriennis obtinet I. contra remedium restitutionis in integrum, quod ab Ecclesiis, vel minoribus, vel majoribus, extra casus exceptos, intra quadriennium est movendum cap. 1. & 2. de in integr. *Rest. in 6. Clem. un. eod. l. ult. Cod. de Temporib. in integr. restitut.* II. contra dominum rei, quam Fiscus tertio cuidam vendidit §. ult. *Inst. de Usucap. l. bene à Zenone 3. Cod. de quadriennis Præscrip.*

Præscriptio quinquennis attenditur I. in querelis, quæ contra testamenta, dotes, aut donationes inofficiosas sunt proditæ l. si quis filium 34. in fin. *Cod. de Inofficis. testam. l. ult. Cod. de Inofficis. donation. l. un. Cod. de Inofficis. Dot. II. in querela sue reclamatione contra professionem Religiosam, cui à Tridentino Concilio Sess. 25. de *Regular. cap. 19.* quinquennium legitur determinatum.*



## CAPUT VI.

## De Effectu Præscriptionis.

Quem semper hæcenus intendimus & quævisimus, nunc præ manibus habemus, Effectum Præscriptionis. Iste vel generalis est, vel specialis. Generalis, & cuique Præscriptioni proprius est dominium aut aliud jus, si positiva sit; aut liberatio à jure, si privativa sit. De illo nonnulla in prima; de isto in altera sect. quædam in medium proferemus.

## SECTIO I.

## De Generali Præscriptionis Effectu.

## SUMMARI A.

1. & seqq. Ostenditur, quod Præscriptio suam operationem habeat in foro animæ. 6. & seqq. Depellitur præsidium Adversariorum. 8. & seqq. Quorundam distinctio inter acquisitionem dominii directi & utilit. 10. & seqq. Rejicitur distinctio, & probatur, quod utrumque comparetur Præscriptione. 19. & seqq. Aliquot argumenta opponuntur, & diluuntur. 27. & seqq. Res, semel præscripta, & antiquo domino restituta, revindicari potest. 29. & seqq. Quid quid in contrarium obijciatur à quibusdam dissentientibus.

## §. I.

## Utrum Præscriptio præscribentem reddat securum etiam in foro animæ?

1. Si memori teneantur animò, quæ in secundo Capite de justitia & æquitate Præscriptionis disputata sunt, nullò negotiò præsens quæsitum expeditur.

2. Respondendum quippe sine hæsitacione affirmativè cum communissima & certissima. (ut credo) Theologorum & Jurisperitorum traditione. Ratio est I. Lex justa in foro externo, est justa etiam in foro interno, uti habet brocardicum. Sed Lex Præscriptionis est justa in foro externo, sicuti ex loc. cit. copiosè probatum arbitror. Ergo &c. II. Lex Præscriptionis non à Jure Civili tantum, sed Naturali & Gentium placitò ex causa publica & suo modò necessarià fuit introducta. Ergo non tantum in foro fori, sed etiam in foro poli reddit præscribentem securum: neque enim aut Naturæ aut Genres quidpiam pruden-  
3. ter statuunt, quod salvet Rempublicam, & simul vulneret conscientiam.

III. SS. Canones expressâ functione non solum Præscriptionem receperunt, verum etiam præscribentem in sua possessione in tantum confirmant, ut à possessione quadragenaria omnem prorsus actionem, impetitionem, & vindicationem excluderint: quod sanè nec  
4. voluissent, nec potuissent constituere, si in iudicio tantum humano, non etiam Divino, præscribentem defenderent: siquidem Juris Pontificii Authoribus hæcenus solenne erat, magis tranquillitatem interioris animæ statûs, quam exterioris Politicæ felicitatem promovere. Qua de causa etiam Præscriptiones illas, quæ malè fide sunt iniquatæ, ideòque sine dispendio salutis prodesse nequeunt, ad Indos & Garamantas relegarunt: bonò argumentò, Præscriptiones alias, bonâ fide obarmatas, contra conscientiam nocumentum in foro utroque usurpari posse.

Quæ paucissimi alterius sectæ defensores contra nos adducunt, aut infirmata jam sunt, aut per se infirma. Enimverò quando dicunt: Legem Præscriptionis in præsumptione culpæ & negligentia fundari, quasi videlicet dominus, ob omissionem rei fide inquisitionem vel repetitionem, à Jure suarum; dicunt aliquid, quod nec retri nec rationi consonat. Neque subsidium emutare possunt ex Nov. 9. ubi irrefragabili ipsius Justiniani effatò impium nuncupatur præsidium: id enim non de quavis Præscriptione, sed informi, monstruosa, & peccaminosa accipiendum est.

## §. II.

## Qualenam Præscriptio dominium tribuat, plenum, an minus plenum?

5. Hanc questionem non proponerem, aut reponerem inter controversias, nisi Doctores non pauci, atque inter hos Balbus 2. p. princip. q. 2. num. 1. distinctionem adhibuissent inter dominium plenum & minus

plenum, seu directum & utile; & illud quidem in Præscriptione longissimi temporis nunquam acquiri; hoc verò in Præscriptione triennali tantum juxta plures, quos allegat Vasquez *Illustr. controvi. cap. 5. n. 1.* juxta alios  
verò



verò etiam in Præscriptione longi temporis, veluti idem Balbus *loc. cit.* contendit, docuissent.

Quam distinctionem de glande, ut ajunt, legenda non esse, convincit idem Balbus *4. loc. num. 8.* dum penes eum, qui directum dominium retinet in re præscripta, tres adhuc effectus remanere, ostendit. Primus est, quòd, si res à præscribente ad tertium possessorem deveniret, non præscribens sed dominus directus vindicandi potestatem exercere posset. Secundus est, quòd re, ad antiquum dominum reversa, præscribens actionem profus nullam contra illum haberet. Tertius est, quòd Præscriptio, quæ dominium utile tantum confert, nequeat impedire litis ingressum, respectu domini directi, rem præscriptam repetere volentis.

Sed, misà hac opinione, firmiter teneo, quòd in omni Præscriptione positiva dominium plenum præscribenti acquiratur. Ex pluribus hujus sententia favoribus numero Covarruv. *p. 3. relect. cap. post. init. num. 2. & seqq.* Fachinæum *1. Contr. cap. 70.* Haunoldum *tr. 5. n. 168.* Clariss.

11 D. Franz *h. t. num. 39.* Probatur I. distinctio, quam consingunt Adversarii, nullò plane Juris textu subnixta est: ubique enim sine distinctione & differentia dicitur, Præscriptionem tribuere dominium, uti alias inter LL. præcipue commonitrat *l. 3. ff. b. t.* quæ definitionem positivam Præscriptionis per hoc explicat, quòd sit *adjectio domini.* Idem perhibent textus Juris Canonici in *cap. inter 6. XVI. quest. 3.* ubi dominium, Præscriptione partum, appellatur æternum; item in *cap. Clerici 1. t. ibidem,* ubi jus proprietatis (quod cum dominio directo coincidit) Præscriptione acquiritur dicitur.

12 Conf. Domini appellacione continetur dominium plenum & directum *arg. l. agri civitatum 1. §. un. ff. si ager Vedigal.* quia huic soli competit in rigore definitio domini, quòd sit facultas perfectè disponendi de re. Ergo cum in *cit. text.* præscribenti addicatur dominium, plenum & directum subintelligitur.

13 Probatur II. Quale dominium præscribenti acquiritur in re mobili, tale acquiritur in re immobili. Atqui in Præscriptione rei mobilis acquiritur dominium plenum, ut fatentur Adversarii. Ergo &c. majorem prob. ex §. 1. *J. b. t.* ubi Imperator eundem profus loquendi modum usurpat de dominio rei mobilis & immobilis. Libet ipsius verba exscribere, *Constitutionem promulgavimus, quæ cantum est, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis possessionem usucapiantur; & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ Imperio nostro gubernatur, dominia rerum NB. juxta causam possessionis procedente, acquirantur.*

14 Confirm. I. Per traditionem, à domino factam, acquiritur plenum dominium. Ergo etiam per usucapionem, ut quæ in *l. traditionibus 20. Cod. de Pañ.* quoad domini acquisitionem traditio acquiratur.

15 Item conditioni acquiratur. Conf. II. Longè æquius est, favere possessioni, tempore longiori obfirmata, quam possessionem, bre-

viori durante intervallo, fovere. Ergo longè æquius est, dominium adicere longæ & longissimæ, quam triennali tantum possessioni.

Probatur III. In Præscriptione nil remanet ex dominio priori domino. Ergo totum in præscribentem transfertur. Antecedens, cui totam suæ intentionis molem inædificant Adversarii, probatur ex *prin. J. d. t. & ex l. un. Cod. de Usucap. transform.* in quibus locis priores domini, usucapione jam completâ, nuncupantur *miseri,* dicuntur possessione suâ cadere, feruntur *rebus suis fraudari,* afferuntur *ab eisdem excludi, & nullum habere ad eas regressum &c.* At si aliquid ex dominio remaneret dominis prioribus, hæc minimè verificarentur: possent quippe ex dictis in *num. 9.* & rem, ad reversam etiam contra præscribentem retinere, & à tertio possessam actione reali petere, aut super illa litem intentare. Ergo nil remanet de dominio.

Conf. ex *l. omnes 4. 17 Cod. de Præscr. 30. annor.* ubi præscribens post 30. vel 40. annos *invenitio plena securus pronuntiatur:* quod otiosè ac frivole dictum esset, si res ab antiquo domino extra vel intra judicium evinci posset.

Prob. IV. Ex omnium confessione in finibus Præscriptionum speciebus utile dominium quaeritur. Ergo etiam directum. Conf. *seq. prob.* quia eadem ratio, quæ induxit Legislatorem ad tribuendum dominium utile, inducere debuit ad tribuendum directum: pax quippe, salus, & quies publica necdum firmò consisteret lapide, si propter dominium directum, quod se putat habere fidei bonæ possessor, adhuc quaestio & controversia moveri posset. Ergo ad pacis, salutis, ac publicæ quietis propagationem Legislatoris æquè dominium directum ac utile præscribenti conferre debuerunt.

Objicies I. *l. si duo patroni 13. §. 1. ff. de Fur. 19 Fur.* quæ hunc offert sensum: *Fulianus ait: eum qui juravit, fundum suum esse post longi temporis Præscriptionem etiam utilem actionem habere debere.*

Resp. hinc penitus nihil concludi. Vel enim Præscriptio longi temporis allegatur à jurante, vel ab eo, contra quem juratum est? Si à jurante, prout voluit Bartolus, Jason, & alii apud Covarruv. *d. init. num. 4. sensus cit. l. est:* juranti in judicio, rem suam esse, actionem utilem esse proditam ex juramento etiam tunc, quando post juramentum præstitum longi temporis Præscriptio, & cum hac directâ actio intervenit. Quæ actio utilis certò non caret effectu, quia facilioris longè probationis est, quam actio directâ ex Præscriptione. Si verò ab eo, contra quem juratum est, allegetur Præscriptio, hæc *d. l.* est sententia: juranti in judicio, rem suam esse, etiam tunc actionem utilem ex juramento competere, quando post juramentum præstitum alter longò tempore in possessione persistit. In quacunquè ergo significatione explicetur textus, non officit conclusioni nostræ.

Obji-

23 Objicies II. *l. si quis dicitur 10. in pr. ff. si Servit. vindic.* ubi in Præscriptione, servitutis præscribenti actio utilis conceditur; quod signum est, jus, ex Præscriptione natum, solummodo utile, non directum esse.

23 Resp. jus, ex Præscriptione servitutis natum, ejusdem esse rationis, cujus est jus, ex servitute, per traditionem constitutâ, natum; sive deinde directum, sive utile velis nuncupare. Quòd verò in opposita *l. actio utilis non directâ* concedatur, inde provenit: quia servitutis propriè non possidentur, sed tantum quasi possidentur. Interim illa actio utilis eundem cum directâ habet effectum.

25 Objicies III. Cui datur actio, datur etiam jus agendi. Sed pristino rei præscriptæ domino datur actio. Ergo &c. minor probatur. Præscriptio subministrat præscribenti

exceptionem *l. super longi 11. Cod. de Præscr. longi temp.* Ergo supponit ex parte domini pristini actionem: quia exceptio est actionis exclusio *§. verbi gratia 1. Inst. l. exceptio 2. in pr. ff. de Except.*

Resp. negandò minorem, & ad eum probat. dist. antecedens. Præscriptio subministrat exceptionem improprium & facti, concedo; propriam & juris, nego antecedens. Exceptio propria & juris supponit actionem veram, & cum effectu in judicium deducibilem; exceptio impropria & facti nullum agendi jus supponit, sed factum tantum, seu attentatum jus, quod per exceptionem non aliam quam facti infringitur. Frustra proinde actio pristino attribuitur domino: cum nihil interfit, ipsò jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur *l. nihil interest 12. ff. de R. F.*

### §. III.

Possitne rem præscriptam præscribens vindicare, si ex ignorantia Juris non usus Præscriptione, rem imprudenter restituit?

27 Respondeo & dico cum Panormit. ad *cap. ad aures h. tit. num. 4.* Haunold. *loc. cit. num. 175.* Engel *h. t. num. 3. in ff. D. Franz ibid. num. 41.* quòd sic. Ratio est: quia, qui dominium rei tenet, potest illam à quocunque possessore vindicare. Sed is, qui præscripsit, tenet dominium rei, quamquam eandem restituerit: tum quia per restitutionem non habet animum transferendi dominium: tum quia & is, qui rem suam ignorans pro aliena vendit, non transfert dominium, cum nemo errans rem suam amittat *l. si procurator 35. ff. de A. R. D.* Ergo qui restituit rem præscriptam, non transfert, sed retinet dominium. Ergo vindicationem intentare non prohibetur.

29 Objicitur. Qui solvit indebitum ex errore Juris, transfert dominium *arg. t. r. ff. & Cod. de Condit. indeb.* Sed, qui rem præscriptam restituit, solvit indebitum. Ergo transfert dominium.

30 Resp. cum Haunoldo negandò minorem. Nam propriè solvit indebitum, qui solvit ex obligatione putatiâ. At, qui rem præscri-

ptam ex errore restituit, non solvit ex obligatione putatiâ, sed rem alienam, quam nullò titulo sibi deberi opinatur, tradit. Dein de est magna differentia inter solventem & restituentem: ille enim habet animum transferendi dominium saltem ex præsumptione Juris, & idèò dominium transfert; iste non habet animum transferendi: quia nescit, dominium aliquod sibi competere. Tamen si in solvente exilimet Haunold, dominium Theologicè non transferri, si animò retineret hanc conditionem & restrictionem: *si obligatus sum.*

Dices: ignorantia Juris nemini prodest. Ergo nec præscribenti, & rem præscriptam ex errore restituenti.

Resp. cum distinctione: nemini prodest ad quaerendum compendium, transmitto; ad declinandum damnum, nego antecedens per *l. 7. & passim ff. de Juris & facti ignor.* ibi: *Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum verò potentibus non nocet.* At qui repetit rem præscriptam, suum petit. Ergo ignorantia eidem non nocet.

## SECTIO II.

### De specialis Præscriptionis effectu.

#### SUMMARIA.

31 & seqq. Præscriptio ordinaria præsumptionem bona fidei, non item tituli, operatur. 36. & seq. In possessorio tamen defenditur possessio longi temporis. 38. Præscriptio extraordinaria præsumit aut supplet titulum. 39. Generalibus terminis non censetur interdicta. 40. Cum titulo æquivalens immemoriali. 41. & seq. Melius est, ex cursu temporis se fundare in præsumptione, quam Præscriptione. 43. & seqq. Recensentur

prærogativa Præscriptionis immemorialis. 51. & seqq. Operatur etiam in rebus & juribus publicis. 54. Centenaria & immemorialis in effectu æquivalent. 55. & seqq. Discutitur illa quaestio: num manifestatio tituli virios destruat immemorialem? 63. & seqq. Dux instantia proponuntur, & propulsantur. 69. & seq. Confutius est, tempus immemoriale solum allegare in vim Præscriptionis.

O o

§. I.



## §. I.

## Quid singulare operetur Præscriptio Ordinaria?

33 Præscriptio ordinaria, seu potius ordinariæ Præscriptionis tempus, præter acquisitionem domini, operatur præsumptionem bonæ fidei, uti in *cap. s. num. 190.* decisum reliquimus. At præsumptionem tituli, sufficientis ad Præscriptionem, non operatur, veluti ex eodem *cap. num. 223.* probatum manet. Cur tam variè? Quia bona fides est qualitas interna animi, denominans hominem bonum; proindeque præsumitur adesse potius quam abesse: quia omnis homo instinctui naturæ, ad bonum dirigenti, sese conformare præsumitur. At titulus est qualitas extrinseca, nec ad bonitatem hominis, nec ad bonæ fidei conditionem necessariò requisita: cum quis, nullò etiam suffragante titulo, iustus de jure possessor esse valeat *cit. cap. num. 198.* Ergo potest abesse vel adesse citra corruptionem prædicatæ bonitatis, à natura inditæ. Ergo præsumi non debuit à jure.

36 Dixi: sufficientis ad Præscriptionem. Quòd

enim tempus longum, pro Præscriptione ordinaria determinatum, inducat præsumptionem tituli, si ve agatur de obligando, si ve de liberando, clarissimè patet ex *L. cum de iis rem verso 6. ff. de Usur. & fruct. ubi ex præstatione usurarum, per longum tempus continuatà, earundem obligatio præsumitur; tum ex L. qui semisses 13. in pr. ff. l. adversus creditorem 5. Cod. d. r. ubi debitor ab obligatione, usuras in majori quantitate solvendi, longò tempore liberatur. Qua de re ex professo agit Menochius de Præsumption. lib. 3. præf. 13. 1.*

Qui igitur longò tempore rem aliquam possedit, aut jus exercuit, licet titulum probare, adeoque vi & virtute Præscriptionis in petitorio vincere non possit: attamen in sua possessione vel quasi-manutenetur contra quemcunque, etiamsi Juris assistentiam pro se habeat, veluti firmavit Rota in *una Nullius juris decimandip. 1. in recent. dec. 685. per tot.* & apud Postium de *Mantuenensibus dec. 513. n. 3. & 7.*

## §. II.

## Quid peculiare habeat Præscriptio Extraordinaria?

38 Præscriptio extraordinaria id habet peculiare, quòd non solum præsumptionem bonæ fidei, sed etiam tituli, ad Præscriptionem sufficientis, inducat; nisi contraria Juris præsumptio contra præscribentem pro eo, contra quem præscribitur, vehementer insurgat ex deductis in *cap. s. n. 234.*

39 Adhæc juxta Tiracellum, & alios apud Pruckmann de *Regalib. cap. s. n. 105.* & Gabriel. lib. 5. conclus. 1. n. 56. per Legem, generalibus utentem terminis, v. g. non obstante quacunque Præscriptione, extraordinaria non censetur exclusà; in idem placitum consentiente Clariss. Antecessore P. Placido Bridler de *claus. rescript. claus. 29.* & allegante Felinum ac Barbofam.

40 Præterea, si Præscriptio extraordinaria, præter fidem bonam, titulo putativo, vel privilegii famà subnixà fuerit, eandem pene ope-

rationem efficit, quam immemoralis aut centenaria *arg. cap. Episcopum 1. h. i. in 6. Rota Rom. in recent. p. 10. dec. 169. n. 5. & 7.* Eminentiss. Card. de Luca de *Judic. discursu 21. num. 42.* Respiciantur dicta in *cap. præced. num.*

Interim prælaudatus Cardinalis d. l. *num. 41.* universaliter suadet, ut neque in ordinaria, neque in extraordinaria Præscriptione facillè quis suam intentionem fundet, sed potius in diuturnitate temporis, & longævitate possessionis. Nam ubi quis in Præscriptioe se fundat, illius conditiones ad amissum exactissimè obstringitur probare: sin autem in longitudine possessionis & antiquitate temporis fundamentum intentionis suæ collocet, hòc ipsò titulum præsumptum habet, ac tamdiu defenditur in possessione, quamdiu validior præsumptio vel probatio non potest ex adverso demonstrari.

## §. III.

## Quasnam Prærogativas habeat Præscriptio Immemoralis?

43 Præscriptio immemoralis, præterquam, quòd nihil desideret, quam possessionem, si positiva sit, bonà fide continuatam, insuper pluribus prærogativis inclarescit. Harum per decursum aliquoties memini. Recentet eas ordine Gabriel. *cit. concl. 1.*

I. est, quòd Præscriptio temporis immemoralis habeat vim privilegii, à Principe legitimo modò obtenti, tantumque possit sua auctoritate conferre, quantum Princeps ex plenitudine suæ potestatis concedere. Textus notissimus in *cap. super quibusdam 26. §. præterea de R. S. Rota Rom. in recent. p. 2. dec. 389.*

*n. 2. p. 11. dec. 101. num. 4. p. 16. dec. 330. n. 2.* Supposito tamen, quòd præscribens sit capax possessionis: nam capacitate possessionis non tribuit tempus immemorabile, sed supponit: eò quòd Præscriptionem antecedere, non subséqui debeat. Cravetta de *Antiq. temp. p. 4. pag. 242. n. 9. & seq.*

II. quòd Præscriptio immemoralis habeat vim tituli, ita ut iste nec allegari, nec probari debeat. Textus notabilis in *cap. Episcopum 1. h. i. in 6. l. hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quot. & altiv. Rota cit. dec. num. 3. p. 11.*

III. quòd non requiritur scientia illius, con-

traquem præscribitur, etiam in illorum sententia, qui alias scientiam domini in præscribendis juribus incorporalibus desiderant. Sabell. in *Summa §. præscriptio num. 24.* quia ex cursu tam vetusti temporis ipsò jure præsumitur scientia, etiam in Principe, vel ejus officialibus, ut docuit Cravet. d. *l. pag. 244. n. 15.*

IV. quòd ex omnium fere concordi placito contra talem Præscriptionem non detur restitutio in integrum ex capite ignorantia. Sabellus d. *l. nec unquam tollatur, nisi specificè exprimat. Rota p. 4. r. 1. 286. n. 1. & 2.*

48 V. quòd habeat vim Legis; opereturque etiam in illis causis, negotiis, & articulis, in quibus præsumptio & prohibio Juris cum gravi resistentia stat in contrarium d. *cap. Episcopum 1. h. i. in 6. Rota dec. 11. num. 2.*

49 VI. quòd eadem polleat potestate, quam habet Imperator, vel Papa, quando cum causa procedat. Rota d. *dec. n. 3. & 4.*

50 VII. quòd habeatur pro veritate in omnibus, que possibilia sunt, Rota Rom. in *rec. p. 13. num. 4.* Hæ sunt principales prærogativæ, quas Præscriptio immemoralis attribuit legatus Gabrielus & alii plerique cum ipso.

51 Quibus singulariter annectendum censeto, quòd prima & fundamentalis S. R. I. Lex, Aurea Bulla videlicet, à Carolo IV. Imperatore condita, in observantia temporis & Præscriptionis immemoralis tota sit fundata; proindeque in Rebus & Juribus publicis maxima & summa ratio Præscriptionis & consuetudinis immemoralis habeatur.

Siquidem, ut quam elegantissimè deducit Clariss. D. Collega de Wolleren in *Quest. Select. Salub. edit. Quest. 6. Sect. 2. à n. 70.* statim ab initio Aureæ Bullæ cap. 1. prima allegatio est, *juxta antiquam laudabilem consuetudinem.* Deinde in *cap. 2. §. 8.* legitur: *& quia de antiqua, approbata, & laudabili consuetudine tam incurvisse quam immutabiliter, quod subscribitur, semper existit habitus observatum, ideoque & nos confirmavimus & c.* Præterea in *cap. 4. §. 2.* Eminentissimo Electori Moguntino competentem convocandi Coelectores potestatem idèò perpetuam vult, quia ita potestatem dignoscitur habuisse ab antiquo. Idem de prima voce Trevirensis *cit. cap. 4. §. 4.* de judicandi munere Palatini *cap. 5. §. ult.* de omnium Electorum Archi-Officiis & exercendis functionibus d. *cap. 4. circa fin. statutum:* nempe deinceps observandum, & faciendum esse, quòd solum est fieri, & observari ab antiquo.

53 *Uti adeò non solum in Fure Privato, sed etiam Publico Romano-Germanico null um jus sit firmius, & quotidie in - & extra Comitria profertur, quam fundatum in dem ubralten Herkommen: sunt verba citati Clariss. J. C. i. num. 47. ubi & antecèd. mem. copiosè probat intentum nostrum.*

54 Queritur tamen I. utrum eadem sit virtus Præscriptionis immemoralis & centenariæ? Resp. quòd, licet immemoralis & centenaria cæteròquin differant, ut constat ex *cap. 1. à n. 75.* aramen quoad virtutem & vim acquisitionis ac reliquas prærogativas differen-

tia inter ipsas non intercedat. Card. de Luca de *Judic. disc. 21. n. 43. & seq.* & de *Jure Patronat. disc. 58. n. 5.* Sabell. in *Summa §. Præscr. n. 24.* Rota Rom. in *rec. p. 16. dec. 70. n. 13. dec. 155. n. 8. 9. & 10. item p. 1. dec. 105. n. 27. & seqq. & dec. 152. n. 2.*

Queritur II. utrum, si titulus vitiosus detegatur, Præscriptio immemoralis vel centenaria corrumpatur? Pone, quòd Titius à Monasterio A. ante plures quàm 100. annos emerit prædium, & modò literæ emptionis, in quibus exprimitur, contractum solò Prælati consensu modicò pretiò fuisse celebratum, exhibeantur; queritur, an Præscriptio centenaria vel immemoralis, jam completa, vim perdat? Authores à potiori, dissentiente tamen Vasquio *Illustr. contr. lib. 2. cap. 81. n. 11.* affirmativè cum Cravetta de *antiquit. temp. p. 4. pag. 150. num. 60.* Fachin. lib. 8. *contr. cap. 33.* Haunold de *J. & F. r. v. n. 232.* concludunt, uti videre est apud Card. de Luca de *Judic. cit. disc. 21. n. 48. & seq.* & de *Alienat. disc. 3. n. 8. & seqq.* Ratio ipsorum est:

quia, dum vitiosum initium, & causa possessionis injusta detegitur, simul etiam mala fides propalatur: cum mala autem fide Præscriptionem non convalescere, ejuuscunque sit temporis, unò ore clamitant Canonistæ ad *cap. ult. h. i. scribentes. Rota in recent. p. 9. dec. 373. n. 9. & seqq.*

Verum in hac practica & momentosa materia secundum principia primum citati, & præ eos Romanæ peritissimi Cardinalis, non absolute sed distinctè lubet respondere. Refert nimirum, an præscribens nullum alleget titulum, sed præcisè fundetur in cursu temporis immemoralis aut centenariæ? an verò titulum alleget. Si primum; nequitiam obstat vitiosus titulus, licet ex adverso ab exordio Præscriptionis adfuisse probetur. Ratio est luculenta: quia, dum titulus in ejusmodi Præscriptione non desideratur à jure, sufficit, quòd præscribens probet cursum temporis immemoralis aut centenariæ: ex eo siquidem præsumitur tum privilegium, tum titulus non qualiscunque, sed quòd melior. major aut efficacior de mundo non potest excogitari, prout receptissima & quasi canonizata in Rota habet doctrina, & sciatim in *p. 2. dec. 11. n. 4. & dec. 614. sub n. 1. p. 4. r. 2. dec. 27. n. 8. p. 5. dec. 250. n. 4. & seqq. p. 11. dec. 101. n. 5. p. 16. dec. 136. n. 2. dec. 330. num. 2. dec. 413. n. 33.* Consequenter præscribens non ex titulo vitioso, sed virtuosè & maxime proficuo, possessionem inchoasse præsumitur; & si titulus vitiosus ab altera parte, excipiendò producatur, replicare potest, quòd non illi, sed alteri titulo, vel antiquiori vel posteriori, à jure præsumpto, suam possessionem in acceptis referat.

Si secundum; ulterius venit perpendendum, utrum præscribens alleget titulum vitiosum quasi restrictivè, taxativè, & exclusivè quoad alium meliorem (quod sanè non nisi imprudentissimus faciet) vel potius ampliativè